

Hallvard Gunnarsson

**Akrostichis De Inauguratione Dn. Christiani Quarti, Daniae, Norvegiae,  
Gentiumque Septemtrionis Remotissimarum Regis mehercule longe pientissimi  
atq[ue] armis potentissimi ; quae facta est ad arcem Agershusanam, 8. Iunii.  
Anno Christi M. D. XCI**

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1606

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486311>

Druck Freier  Zugang



Halvard Sünar,

ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ

de inauguratione Christiani IV. 1591.

Rostockii 1606.

C9

2258





69-2258

40



ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ  
DE  
INAUGURATIONE  
DN. CHRISTIANI QUARTI,  
DANIAE, NORVEGIAE, GENTIVM-  
QUE SEPTENTRIONIS REMOTISSI-  
marum Regis meherculè longè pientissimi atq; ar-  
mis potentissimi; quæ facta est ad arcem  
Agershusanam, 8. Junij.

ANNO CHRISTI

M. D. XCI.

Debitæ observantiæ & gratitudinis  
testificandæ ergo scripta

AB

HALVARDO GVNARIO  
Norvegio.

*Regna pium pietas firmat Regemq; tuetur,  
Promissa aternæ firma salutis habens.*



ROSTOCHII Typis Myliandrini Anno M. DC. VI.





*Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis*



*Serenissimo Potentissimoq; Principi,*

**DN. CHRISTIANO, Ejus no-**  
**minis Quarto, Regi Daniæ, Norve-**  
**giæ, Vandalorum & Gothorum: Duci Slesvici,**  
**Holfatiæ, Stormariæ & Ditmaræ: Comiti Oldenburgi &**  
**Delmenhorstij Domino suo Cle-**  
**mentissimo.**



*Nelyte Rex salve, quo gaudent sospite Cim-*  
*bri,*

*Quem gens Fionia, quemq; Selandæ colit;*

*Quem divisus amat toto procul æquore Scanus,*

*Norvegum paret cui simul acre genus.*

*Qui superas omnes omni virtute Monarchas,*

*Quos tulit arctoo Dania cinctæ mari.*

*Quin et jam fulges virtutibus, optime Princeps,*

*Hesperus ut stellas eminent ante alias.*

*Nam validas proprij regni moderaris habenas*

*Dextro consilio, judicioq; gravi.*

*Et sequeris Divi vestigia clara Parentis,*

*Et decoras sancti nomen & omen avi.*

*Templa foves, nutrisq; scholas, pacemq; tueris,*

*Arces atq; urbes cingis & ædificas.*

*Op-*



Oppressos blandis clemens amplecteris ulnis,  
Tristibus & miseris mitis adesse soles.  
Hinc tua certatim peragunt praeconia vates,  
Et super aeternis laudibus astra vehunt.  
Hac igitur placido Rex Illustrissime vultu  
Suscipe, demisso carmina facta stylo.  
Carmina facta tua non ficto laudis amore,  
Lusit in adventum qua mea Musa tuum.  
Illa quidem tanti non sunt, quanti esse volebam,  
Sed tamen in magnis & voluisse sat est.  
Dona quidem spectare decet, mens est quoque dantis  
Non spectanda minus, dummodo grata venit.  
Nam Deus aethereus, sunt quem penes omnia, mentem  
Spectat, qua placeat si modo, cuncta placent.  
Quod restat cupidis votisque ardentibus opto,  
Ut cum Regina, progenie & valeas.  
Et tuus, instabilem vitam cum fata reposcant,  
Spiritus ad celsi subvolet astra poli.


S. T. M.

Subditus obsequentiis.

Halvardus Gunarius Norvegus.

DA-





# DAPHNIS.

Collocutores,

## Corydon & Thyrsis.

**C** Ompulerant pecudes Corydon & Thyrsis in unum,

**H** ic ubi frondosis praecinctus Fresius alnis,

**R** ura secat, vario penetrans Asloica flexu,

**I** nfert & salsis subitis se passibus undis.

**S** ic prior inceptit Corydon: dum gramine pastus

**T** hyrsi sub arboreis pecudum grex ruminat umbris,

**I** gneus Hesperias dum Sol declinat in undas,

**A** c torret medium nunc ardentissimus orbem,

**N** os simul inflatis carmen modulemur auenis,

**V** ramur calidi sed ne Titanis ab aestu.

**S** i placet hoc antro poteris succedere mecum,

**Q** uod frondens platanus ramis incingit opacis,

**V** ndiq; flammiferi Solis prohibetq; calorem.

**A** udis ut circum volucres super arboris alta

**R** amis effundant residentes carmina grata,

**T** ellus hic vario cernis quam gramine sese

**V** estiat, ambrosium quod late spargat odorem.

A 2

Spirant



*S*pirant hic et jam gelidis afflatibus aura,  
*D*ecurrens blandis hic murmurat unda susurris.  
*A*nnis tu major, tibi me parere decebit. Thyrs.  
*N*unc igitur (quid habes dignum si forte relatu)  
*I*ncipe, pascentes servabit Tityrus hados:  
*Æ*des Astoicas quid complent plurima turba  
*N*obilium? sibi quid vult clangor in arce tubarum?  
*O*mnes ingentes tollunt quid ad athera plausus?  
*R*ustica sit quamvis mea fistula, resq; requirat Cory.  
*V*ires ingenij magnas, venamq; fluentem,  
*E*xili tamen (ut tibi non indigna petenti  
*G*ratificer) tenerum modulabor arundine carmen.  
*I*nsula dives opum longã notissima famã  
*Æ*quore septa jacet, Sialandia dicta colonis,  
*G*randisonos tolerat que fluctus undiq; ponti.  
*E*jus arenoso jacet urbs in littore, Portus  
*N*omen habens, validis circumdata mœnibus: altas  
*T*urres ostentans, excelsaq; tecta domorum.  
*I*lluc Nobilitas confluit maxima Regni,  
*V*t comes arctœas Daphnim sequeretur in oras,  
*M*ultiplici instructis illinc re navibus ibat,  
(Quales vix habuit Xerxes) optatus euntem  
*V*entus prosequitur, terraq; urbesq; recedunt.  
*E* mensus pontum venit huc ubi Vigia multos  
Sustinet



Sustinet impulsus, & acerbas equoris iras.  
Et citò prævehitur spumantia saxa, sinusq;  
P. lenis Asloici tandem subit ostia velis.  
Triton ut vidit prope turgida carbasa, tales  
Edidit ecce sonos: felici labere pinu,  
Magnorum Juvenis Regum generosa propago.  
Te pia facta regant, te sidera cuncta benigno  
Respiciant vultu, faveat fortuna, malorum  
Immune multos te servet Juppiter annos  
Omnipotens, idem te corporeisq; solutum  
Nexibus ad patrij ducat vestigia regni,  
Immanis postquam Triton Neptunia proles  
Sic concha insonuit, rursus caput abdidit undis.  
Rem per jucundam narras, sed perge referre  
Enarranda mihi, quæ restant optime Thyrsi.  
Mox (pratervectus fuit ut Nessoddica rostra)  
Ore vomunt tormenta globos, concussa remugit  
Tellus, & vehemens sonitu fragor aëra late  
Implevit, Fræsus refluitq; exterritus amnis.  
Substringunt propere jam vela tumentia nauta,  
Securum classi portum subeunte, carinas  
Iactaq; præcipitem facit anchora sistere cursum.  
Misto spectatum vulgus proceresq; ruebant  
A gmine, visenda studioq; effusa juvenus

Cory.

Thyrs.

Ripas



R ipas complebat, campos circumq<sub>3</sub> jacentes.  
V t verò appulerat, venienti protinus ultrò  
M agnanimi occurrunt proceres, & ritè saluant,  
R itè salutato felicia cuncta precantur,  
E xcipiuntq<sub>3</sub> hilares, comitesq<sub>3</sub> sequuntur in arcem,  
(X anthi vix similem viderunt) advena cujus  
M iratur muros, & inexpugnabile vallum.  
E xcellens Daphnis super omnes altior ibat,  
H eroum turbas inter procerumq<sub>3</sub> coronam.  
E ffusi q<sub>3</sub> patres stabant juvenumq<sub>3</sub> cohortes,  
R egalem cupido spectantes lumine pompam,  
C andidus ut stellas Phœbus per inane micantes  
V elat, & inducit radijs superantibus umbras:  
L ucentes in equis proceres sic Daphnis ad unum  
E xcedit, Tyrio non tam spectabilis ostro,  
L ydo non auro, quam forma insignis honesta.  
O mnes suscipiunt Daphnim, mirantur & omnes.  
N obilis obryzō radiat ceu gemma sub auro  
G ratas astantum vibrans in lumina flammæ,  
E t trahit alliciens aspectus ipse venusta:  
P ralustris rutilans sic Daphnis imagine forma,  
I nter magnanimos proceres, heroas & inter  
E micat, & cunctos in se conuertit ocellos.  
N on satiari queunt oculos, mentemq<sub>3</sub> videndo,

Tam



*T*am placuit, reliquis formosior omnibus unus.  
*I*ngressus portas postquam fuit, illico glandes  
*S*ulphureas jaciunt tormenta, eduntq; fragores.  
*S*tellifer unde polus, penitusq; exterrita tellus  
*I*ntremuere, cavisq; immugyt Echo cavernis.  
*M*ota dabant sonitū crepitantia tympana pulsu,  
*V*ncis cum lituis resonabant æra tubarum.  
*S*uccedunt omnes sublimis postibus aule,  
*A*ulais exornata, pictisq; tapetis.  
*T*um dapibus cyathisq; vacant, mensisq; remotis  
*Q*uisq; thorum dulci somno fruiturus inibat.  
*V*mbrosas longè tenebras Aurora fugarat,  
*E*ripiens astris flammis propioribus, et jam  
*A*uricomus terras spargebat lumine Phæbus:  
*R*eddideratq; diem radys flagrantibus orbi:  
*M*agnâ cum Daphnis procerum stipante cateruâ  
*I*mperij fasces vehitur capturus ad arcem.  
*S*ublimem bicolor Maculis quem Martius albis  
*P*ortat equus, jactansq; arrecto pectore crura.  
*O*ptat ovans populus venientis prospera, mentis  
*T*estaturq; sua læto nova gaudia plausu.  
*E*xinde in vectum, patriæ pro more vetusto,  
*N*emine designant proceres cogente Monarcham,  
*T*radunt unanimes Regni totius habenas,

B

Impo-



*I* mpositoq; sibi statuunt diademate regem.  
*S* it satis o patria decus & nova gloria Thyrsi, Coryd.  
*S* ol petit occasum fessus, nox ingruit atra,  
*I* nvolvens cæcis terram cælumq; tenebris.  
*M* aximus astrigeri faxit regnator olympi,  
*V* t vivat Pyleos, & agat feliciter annos,  
*S* ceptrifero cinctus diademate tempora Daphnis.



**ALIUD ENCOMION**  
**Thaumasticum, de ejusdem Illustriss.**

Potentissimiq; Principjs, DN. CHRISTIA-  
NI IV. electione ac inauguratione.

**C**onstans Cimbrorum Columnen, Certamq; Columnam,  
Confugium Chothonum, Curlanda, Chedanorum,  
Caucorum, Chronlandorum celebremq; Chilarchum,  
**CHRISTIANVM** Conservatorem Christicolarum,  
Carminibus, cultisq; Camænis concelebremus.

Cunctipotens, carmen, cosmi, concede, creator,  
Cultum, Castalides Celebres, Clarissime Cynthi,  
Castalij custos Campi, concede Cacumen  
Clivosum Caballini Conscendere collis.

Cre-



Crebrò Concedas Clarios comprehendere Cantus  
Compositos comptè: Cantorem Condere coram,  
CHRISTIANO, Colophoniacos Concede Coturnos.  
Catus CHRISTIANVM Celebri Cretumq; Cubili  
Claro, Cum Commonstrarint Cunabula, Certe  
Ceu Characteres, Congesta Crepundia, Cuncto  
Crescentis cum Curriculo Candoreq; Cordis  
Conspicuum, Cordatum, Causarumq; Clientum,  
Conciliatorem, Circumspectumq; Catumq;  
Consolatorem, Cautum, Certosq; Colentem,  
CHRISTIGENVM Cultus, Clandestinisq; celebrem,  
Consilijs consultorem, Culpaq; Carentem.  
Consignari commeruit Clarusq; Chilarchus,  
Commeruit Confirmariq; Caputq; Creari  
Condecorari Commeruit, Cingiq; Corona.

Conscripti cur Censores, Celebresq; Catones  
CHRISTIANVM confirmantes Capitiq; Coronam  
Composuere Coruscantem, Collumq; Chilarchi  
Condecorando comas, Chronlandorum, Chedanorum,  
Cimbrorum, Chothorum, Curlandaq; Capacis  
Compellaverunt Columnen, celsamq; columnam.

Consule conscriptos, Consultoresq; citatos,  
Consule Censores, certo conscribere Cohortes  
Consilio; Cogasq; cerebrososq; cohercere,

B 2

Corri-



Corrige, Castiga, Capias, Compesce Chilarche,  
Crabrones, Contemptores, Cuculosq̄, Capistres,  
Comprime Ceritos Clypeis Calybesq̄, Capaces,  
Cadeq̄, Ceritam Cervicosamq̄, Cohortem.


CHRISTIgenas contrà conserva, Confove, Corde,  
Clericulos Complectere, custodiq̄, Clientes,  
Cives compressos, Circumcircaq̄, Colonos  
Clementer Cures, Crucifixi Corpore CHRISTI  
Ceu Commercatos Cunctos, charoq̄, cruore.

Contrà conatus Ceritorumq̄, Cavillas,  
Centum Chiliadas crebrò conscribere Cohortum,  
Cladeq̄, Consumes crebrà Certamina Centum,  
Constituas Clypeis Communitasq̄, Cohortes  
Casidibus, Cetrusq̄, Cavis, clavisq̄ Cruentis.  
Centum Crudeles Commenta, Cavillas  
Confictasq̄, Catos Calophantarumq̄, Colores  
Concoq̄, Constanter Cautim Cordate Chilarche

Cetera Conticeo Complurima, claudoq̄, Carmen  
Curq̄, Cithariades Cythararum Carpere chordas  
Cesetis? Condignos CHRISTIANO, citò constes  
Complures, cum Clarisonos cecinisse Cothurnos  
Cantores, cur cedentes cessate Camæna,  
Carminibus cultis clarum celebrare Chilarchum  
CHRISTIANVM, cunctis charum convincere cervos  
Canis



*Canitie celeres cupimus, corvos crocitanes,  
Comple centennes, conscendeq; culmina Cæli,  
Conregnes cum cælicolumq; cohorte chorog;  
Completis, claram capias Chilarche coronam.*



CARMEN GRATVLA-  
TORIUM,

De Homagio, eidem Illustrissimo Po-  
tentissimoq; Principi ac Domino, Dn. CHRISTIA-  
NO Quarto, Daniæ &c. Regi designato, à Nor-  
vegianis ad arcem Agershusanam præstito,  
8. Iunij, Anno 1591. ex tempore  
scriptum à M. H. G.

*Est Locus ante arcem, viridanti gramine vernans,  
Campus amœnus, ubi spaciendo fallere tempus,  
Et licet, atq; etiam gravibus dare tempora rebus;  
Consitus arboribus nullis, est undiq; planus,  
Planitie & totus (mirum est) spectabilis ampla,  
Et jubari æstivo Lucis patet omnibus horis.  
Alluit huic mare velivolum resluentibus undis,  
Sordibus è medio sublatis, undiq; purus.*

B 3

Robo-



Robore constructum firmo nunc ecce theatrum  
Late conspicuum spectans austrum satis amplum.  
Hujus at in medio sedes sublimior extat,  
Regius ille thronus gemmis qui fulget & auro;  
At rubeo theatrum panno circumdatur omne,  
Illius atq; pavimentum exornatur eodem.  
Principis ante thronum scamnum stans arte politū,  
Atq; decoratum precioso murice & ostro.  
Præterea est aliud simili conpage theatrum,  
Erectum versus boream, nitido sine cultu,  
Ad lapidis jactum distans, paulo & minus illo;  
Virginibus datus est locus hic, pariter dominabus,  
Scilicet ut melius spectent Regalia festa.

Jamq; dies celebranda aderat, qua Principis am-  
Gloria conspicienda foret populo manifestè. (pla  
Lux octava redit Junij, Sol aspicit horam  
Undecimam, tandem Dux altâ venit ab arce  
Egregiè ornatus, magnâ comitante catervâ,  
Vectus equo forti, phaleris qui insignis & ostro,  
Auribus arrectis saliens tumida ora recurvat,  
Fræna ferox pariter spumantia mandit & hinnit,  
Nunc huc, nunc illuc flectit sese inter eundum.  
At pia dextra Ducis sapienter torsit habenas.  
Pulsantur rauco crepitantia tympana pulsu,

Et



*Scilicet ut melius Regem spectare liceret.*

*Ora premunt omnes taciti, tandem ore deserto  
Prodit Nicolaus Kaas, Cancellarius, Ecce,  
Et genere insignis, Sophia & venerabilis arte,  
Et virtute gravis, simul & pietate refulgens;  
Talibus eloquijs, astantes fatur, amicis.*

*Salvere hic jubeo viri,*

*Cujuscunq; eritis ordinis aut status  
Vos, vobis pariter mei*

*Et grates refero nomine Principis,  
Huc quod veneritis pede*

*Haud tardo, & Domini jussa facebitis.  
Gratum est obsequium hoc Duci,*

*Et magnam simul hic gratiam inibitis.  
Quod nunc significo, precor*

*Altâ, vos populi, mente reponite.  
Noster quandoquidem piè,*

*Rex avi spacium finijt optimus,  
Per decreta DEI Patris,*

*Cui vis nulla potest jure resistere.  
Inter filiolos suos,*

*CHRISTIANO voluit scepra dari Pater,  
Ut solus regeret duo,*

*Regna hac, sicut avus, tum pro avus suus,*

C

Et quon-



Et quondam veluti parens,  
Regnis solus in his imperitans fuit.  
Grates nos igitur DEO,  
Reddamus meritis pectore supplici,  
Quod nobis bonitas sua,  
Heredem dederit legitimum & pium;  
Ne rerum moderamina,  
Gens nobis miseris auferat ex solo,  
Ut Regem hactenus optimum,  
Audiſtis, volo sic Principis Optimi  
Parere imperio & iugo  
Ejus vos placido, collaque subdere.  
Par est proinde, mei Ducis  
Omnes ex animo ut jussa sequamini.  
Persuafum est igitur mihi,  
Fidos huic Domino vos fore subditos;  
Sanctus Paulus enim docet,  
Quod mens omnis erit subdita Principi,  
Et quod sit sine Numine,  
In terraque polo nulla potentia.  
Ut servata fides patri est,  
Est servanda eadem sic quoque filio,  
Prasentem Sobolem puto,  
CHRISJanum juvenem, nominis illius

Quar-



Quartum, scilicet huic Duci  
Parète unanimes rebus in omnibus.  
Is Rex vester erit potens,  
Qui vos à trucibus proteget hostibus,  
Permittet patria frui  
Iure & legibus & conditionibus  
Vnumquemq<sub>3</sub>, velut Patris  
Ætate, & veluti tempore pristino.  
Ut templa atq<sub>3</sub> Scholas parens  
Erexit, coluit, auxit honoribus,  
Doctoresq<sub>3</sub> aluit pios,  
Doctrinamq<sub>3</sub> sacram fovit, & impiam  
Evertit penitus, sui  
In magni imperij finibus omnibus;  
Speramus similem Patri  
Vsuram Sobolem munere Spiritus.  
Arbor nam bona fert bonos  
Fructus, Iustus enim justitiam colit.  
Jura & iudicium simul,  
Leges atq<sub>3</sub> scholas, templa tuebitur.  
Ætas major ubi (DEO  
Si visum fuerit) robora sumpserit.  
De hac re, nemo, precor, bonus  
Unquam subdubitet, sed mihi credite,

C 2

Ipsam



*Ipsū (propitio DEO)  
Regem pacificū & magnanimū fore.  
Quare nil reliquū est, nisi ut  
Omnes pro veteri more, fideliter  
Juretis Domino Duci,  
Erectis digitis per pia numina,  
Unus post alium gradus  
Ascendat theatri, stabitis ordine,  
Mansueti & taciti (ut decet)  
Sed flexis genibus, corpore cernuo.  
Adsit nobilitas prior,  
Hinc clerus, sequitur vulgus, at ultimum  
Hoc vos pramonitos volo,  
Ne quis sit petulans, gestibus improbis,  
Qui hos ritus violet pios,  
Ne audax impediāt, despiciat strepens.]  
Non est actio ludicra,  
Nec res est nova, sed seria & ardua.  
Si mori veteri damus  
Quid laudis? meritō his laus datur actibus.  
Est nam traditio vetus,  
Introducta gravi consilio Patrum.  
Mentes atq; oculos mihi  
Ergo advertite vos, state viri graves,*

*Arre-*



*Arrectis simul auribus ;  
Vestra agitur modo res, ora tenebitis,  
Dum tota hæc ceremonia  
Finita hic fuerit ; deinde valebitis.*

*Talibus orabat dictis doctissimus heros,  
Stans celso in theatro redimitus torque decoro,  
Ipseq; jurandi formam recitavit apertè,  
Principis ad levam consistens ore suavi.  
Posthac ascendunt igitur justo ordine cuncti,  
Ante omnes veniunt clarum qui nomen avorum  
Præstendunt ; post hos Iuris legumq; periti.  
His pendent tereti preciosa monilia collo,  
Ipforum articulos radians premit undiq; gemma.  
Deinde Sacerdotum graditur venerabilis ordo,  
Hic pietas, gravitas morum, probitas & honestas,  
Candor & eximius, tum sancta modestia lucet.  
Præsulibus locus imprimis datur ire per altos  
Ascensus, Dominoq; Duci dare nomina magno.  
Hinc chorus insequitur Dominorum, qui sacrosancto  
A Canone accipiunt nomen sermone Pelasgo.  
Inter quos, licet indignus tamen ipse vocatus  
Adfui, & ipse Duci jurabam corde fideli,  
Cum reliquis stans ante thronum, sed poplite flexo:*

C 3

Testis



Testis erit Deus ipse mihi, quod vera locutus,  
Nemo tamen mihi det vitio quod vera fatebor.  
Præpositi properant dein cum pastoribus omnes,  
Postquam presbyteri Regi dixere salutem,  
Jurantes ipsi per maxima nomina Divum.  
Conveniunt cives cum Consulibus regionis,  
Ascenduntq; gradus, Ducis ut gratentur honori.  
Erectis digitis jurant per verba recepta,  
Scilicet ut servare velint pia fœdera Regi.  
Agricola tandem conscendunt celsa theatra,  
Principis electi Domini quo jussa facessant,  
Communi exemplo, ut jurantes more recepto.  
Partibus ex varijs aderant regionis & hujus  
Insignes pietate viri, probitate nitentes;  
Namq; loca haud paucos nobis Borealia mittunt;  
Maxima pars populiq; australia littora sulcant,  
Illius egregij festi qui vidit honores.  
Adsunt & qui rura colunt Oplandica passim.  
Dives agri, frugumq; ferax Hedmarchia, nec non  
Gulbrandsdalia, tum simul Osterdalia præstò est.  
Cultoresq; suos Romrigia misit avaros.  
Tu quoq; misisti Burgsyslia magna Colonos,  
Et Ducis ad festum transmisit V Vigia plures.  
Et quicumq; procul habitant in finibus Augde.

Et pe-



Et pecoris nivei, & Lactis Thylemarchia abundans,  
Principis ad festum misit de montibus altis,  
Illius imperium afficiant qui debito honore.  
Hi gestant habitum priscorum more parentum,  
Displicet his minimè simplex & vilis amictus,  
Namq; suum velant vulgari vellere corpus,  
Hanc quoniam vestem nulla ars fullonia tinxit,  
Et capitis tegmen proprius contexit usus,  
Pertingunt humeros interdum brachia crines.  
Subligat & Lumbos lascivos baltheus asper,  
Hoc pharetra è pendet, cui curvus jungitur arcus.  
Carnososq; pedes crudus tegit undiq; pero.  
Et licet hæc quondam fuerat gens barbara multum,  
Nunc tamen humana est, mansueta, gravisq; benigna,  
Excipit hospitio peregrinos quoslibet, unquam,  
Nec patitur quenquam ieiunis faucibus ire.  
Mensa cibo gravis est miti noctesq; diesq;  
Quilibet adveniens escas contingere possit  
Si premit esuries, vel quem sitis arida torret.  
Et licet hæc gentes ob morum simplicitatem,  
Temnuntur passim (ut mundus solet esse superbus)  
Territus est armis ipsarum Sueticus hostis,  
Multa super populo hoc rogitans, an bella moveret?  
Neve brevi veniat, timuit multum sibi ab illo.

Terruit



Terruit infestos hostes Thylemarchicus orbis,  
Quamlibet exiguus: Nam mens sibi conscia recti  
Terrificat multos, velut experientia testis.  
Ante ducem stant hi, sed simplicitate fideli,  
Jurantes sanctè servare fidem inviolatam.  
Postquam jurassent in Regis verba potentis,  
Quotquot ad hoc festum venerunt ritè vocati.  
Rursus agit grates populo pius ore disertus  
Cancellarius: Extremumq; valetè precatur.

Hæc ubi tota fuit ceremonia ritè peracta,  
Atq; novo Princeps descenderet auctus honore.  
En ruit indomitum vulgus per septa theatri,  
Rumpit, dirumpit, rapit, arripit atq; rescindit  
Pannum, quo theatrum fuit omni parte revinctum,  
(Moris ut antiqui est, postquam regalia festa  
Ritibus his cunctis, finem tenuere beatum)  
Et proprias lacerat vestes furiosa caterva,  
Sevit & ensiculis in mutua vulnera acutis,  
Crinibus & pugnis ipsos certare videres.  
Bella gerunt linguis, pedibus, simul unguibus uncis,  
Panniculi ut possit vel quisq; auferre pusillum,  
Quisquis enim panni poterit decerpere quicquam,  
Ille sibi gaudet, gestit, nimiumq; triumphat,  
Et veluti sacram longos rem servat in usus,

Atq; do-



Atq; domum rediens alijs demonstrat eandem,  
Illius hoc factum miranti pectore laudant.  
Sed vulgus jam nos missum faciamus ineptum,  
Principis ad nostri pompam redeamus honestam.  
Risibus aut quibus actibus hæc ceremonia facta est,  
Conabar paucis scribere versiculis.

Atq; tuas Princeps tentabam dicere laudes,  
O utinam dignas auribus usq; tuis.  
Vena mihi jam tarda seni fluit omnibus horis,  
Vires ingenij sunt nimis exigua.

Attamen in quantum poterit mea crassa Thalia,  
Versibus his paucis ipse canendus eris.

Quicquid erit tua Majestas animoq; benigno  
Accipiens, totum consulat ipsa boni.

Grata dies hæc est, voto exoptata frequenti,  
Qua sedem scandit filius ipse patris.

Accipe sceptræ Patris, rege regna paterna relicta  
Faustis auspicijs, Tempore Nestoreo.

Gaudet in hoc festo Sophia & mitissima mater,  
Gaudia sentit & hæc Regia tota domus.

Danica letatur pariter Norvegica tellus;  
Gestis illustris Rex Iacobe nimis.

Nobilis ANNA Soror Regina Caledoniæq;  
Nymphis cum castis ducit & illa choros.

D

Hinc



Hinc gener excellens Dux Brunsvicensis orabat,  
Conjuge cum chara jubila lata sonans.  
Atq; avus Ulricus Dux Meglaburgus ob istud  
Festum letatur vocibus Harmonicis.  
Saxonia, & sic Marchia, Misnia tum Holsatia, atq;  
Omnes gratantur Dux generose tibi.  
Vos Sueones, Vos Pruteni, fortesq; Poloni,  
Principis in festo hoc gaudia concipitis.  
Nec dubito, quin Scythica gens, & Moscovia Dux  
Magnus, in hoc festo gaudia magna capit.  
Ipsius legati aderant, & Regis honorem,  
(Testis es Asloia) hic conspiciunt oculis.  
Munere donati egregio lati rediëre,  
In patrios fines navibus æquoreis.  
Romani patria Patres dixere Regentes  
Nempe Magistratus munia significant.  
A patre nam veluti clementi victum & amictum  
Expectat soboles, consiliumq; bonum:  
A Duce sic cives, vidua, miseriq; clientes  
Tutelam expectant, presidiumq; probum.  
Filius ut totus dependet ab ore parentis,  
Sic omnis populus Regis ab auxilio.  
Esto igitur Princeps patriæ genitorq; fidelis,  
Filiolis miseris propitiusq; pater.

Talis



Talis erat pater ipse tuus nutritor amandus,  
Et pastor vigilans, ceu gregis usq; sui.  
Illius ergo fuit tranquilla & vita beata,  
Et pius ad superos exitus ipse fuit.  
Nunc piè, Christe Duci fer opem te poscimus omnes  
Ut Duce te, sua nunc munia suscipiat.  
Per te etenim regnant Reges, per te quoq; solum,  
Princeps constituit justaq; quaq; facit.  
Te penes est prudentia, tum sapientia solum,  
Successus felix, consiliumq; bonum.  
Quaesumus ergo Duci nostro clementer adesto  
Omnibus in rebus, quò tibi complacereat.  
Viq; pij natum Patris ad vestigia ducas,  
Civibus ut pacem & det bona quaq; suis.  
Ut sacrosancti teneamus dogmata verbi,  
Finibus in cunctis pro bonitate tua.  
Ut Duce te, exemploq; Patris sua regna gubernet,  
Finibus imperij ut publica pax vigeat.  
Deinde scholas & templa juvet pietatis amore;  
Ut sanum maneat religionis opus.  
Tunc benè fit populo Christi qui nomine gaudet,  
Cum Rex sincerè dogmata sacra colit.  
Dij tibi dent oro placidam per regna quietam,  
Ne pacem turbent publica damna tuam.



Dextra felici gladium tu stringe minacem,  
Hostes adversus qui tibi bella movent.  
Ut pater atq; atavi claros retulere triumphos,  
In terraq; mari de hostibus innumeris.  
Sic Deus ipse suum benè fortunabit alumnum,  
In multos annos imperiumq; tuum.  
Dulce quidem est meminisse tui Dux nominis almi,  
A CHristo quoniam nobile nomen habes.  
Et licet hoc alijs fuerit cognomen, ab illo  
Qui in cruce pro nobis crimina nostra tulit;  
Attamen est proprium tibi nomen, ut illius amplum  
Nomen promoveas, dum ipse superstes eris;  
Non etenim casu nobis imponitur ullum,  
Nomen (ut indoctum vulgus inersq; putat.)  
Sed Deus aeterni pro consilij ratione,  
Nomen CHristifani indidit ipse tibi.  
Scilicet ut nomen Domini, qui Christus **JESVS**  
Est, pulchra his regnis fronde virere velis.  
Auditurq; tuum quoties venerabile nomen,  
Ipse tui sancti sis memor officij.  
Cum CHristo quoniam nomen commune reportes  
Hoc etiam pacto commoda multa feres.  
Ille suos domuit, saevos punivit & hostes,  
Illius auxilio & colla inimica premes.

Ille



*Ille suos pariter charos tutatus amicos,  
Has tua Majestas participabit opes.  
Sic avus ille tuus consors quoq; nominis hujus,  
A Domini multum fœnore dives erat.  
Quid dicemus ad hac? Si nos defendit Olympus,  
Quis merito nobis jure nocere potest?  
Rebus in angustiis mens hinc solatia querat,  
Respice consortes CHriste benigne tuos.  
Et Regem nostrum præsens defende potenter,  
Contra multiplices Daemonis insidias.  
Reginam, regniq; status, verbiq; ministros  
Angelica semper commoditate juva.  
Sic tibi perpetuas Laudes resonabimus omnes,  
Nominis & celsi gloria major erit.*

DE NAVIBUS, QUIBUS  
est usus Serenissimus & Potentissi-  
mus noster Princeps, cum inauguraretur Regno  
Norvegiæ, de illarum numero & nomi-  
nibus, carmen extempo-  
rarium.

**D**icite, Pierides, naves, quibus utitur heros  
CHristianus, veniens dum Norgica regna capeffit.

D 3

Quot



Quot fuerint numero, & quo nomine quæq; vocetur.  
Talia sed Musa referunt; nos vera fatemur,  
Sunt his quinq; rates, tota de classe recepta,  
Huc quibus aduectus Princeps est Dux generosus,  
Est Gedeon, Iosaphat, Raphael, pariter Gabrielq;  
Falchoq; de Bergis rapido volat ocyor Euro,  
Tu Rosa purpurea es, mirum speciosa reluces,  
Vt tuus incolumis maneat flos sapius opto.  
Illustris David, Salomon sapiens, Facobus,  
Inter se cursu certant (mirabile visu)  
Hæ tres prædictæ vocitantur sed Galeones.  
Advolat his citius simplex & blanda Columba,  
Nunc huc nunc illuc sese fert perpete penna.  
Ista Carinarum Regis sunt nomina nostri,  
Hac vice quas secum nostras advexit in oras.

PRECATIO PIA AD CHRIS-  
tum pro Ecclesiæ defensione, &  
felici Inclyti Regis nostri guber-  
natione.

**G**Nate Dei vivi, Deus ipse benigne patrone,  
Saluator mundi, cæli decus, optime CHRISTE:  
Quem pater omnipotens alto demisit olympo,

Carnis



Carnis ut humana massâ vestitus honesta,  
Victima pro nobis fieres, & fortibus armis  
Vastares rigidi Satana fœdissima regna,  
Victor ovans Cœlumq; dares mortalibus ipsis.  
Terogo per dura tristissima vulnera mortis,  
Corporis atq; tui rogo per surgentis honorem,  
Perq; tuam Majestatem, dextramq; potentem,  
Oro iterumq; oro, Satana depelle furores,  
Pontificumq; dolos prohibe, confunde Sophistas  
Impuros; Turcamq; ferum, dirosq; Tyrannos  
Frangere potens, durisq; malos constringe lupatis.  
Assere te Princeps fortissime, suscipe sanctam  
Sanctorum causam, rege pronus pectora nostra  
Flamine cœlesti, rapida ne mortis in hora  
Cedamus stygijs victi terrore Molossis.  
Regis & ingenuos nostri defende labores,  
Et rectum studium divina luce gubernas,  
Illius & justis vires conatibus adde,  
Ut tua summe Deus confirmet dogmata sana,  
Et pietate bonos seruet mitissimus heros;  
Legibus ac justis armisq; ferocia monstra  
Concutiat, reprimatq; malos colloq; protervos,  
Qui nec jura hominum, nec numina celsa verentur.  
Reginam defende piam, fidumq; Senatum,

Docto-



Doctoresq<sup>3</sup> pios, & castos protege cœtus,  
In quibus atherei fulgent sacra lumina verbi,  
Atq<sup>3</sup> Sacramentum rectè servatur utrumq<sup>3</sup>,  
Nec corruptelis squalent cœlestia signa.  
Deniq<sup>3</sup> in hac mundi jam delirante senectâ,  
Dum feritas morum, & rerum confusio crescit,  
Fatalemq<sup>3</sup> trahunt nutantia regna ruinam.  
Quando catervatim tot circumfusa maniplis  
Ad latus omne vides nostræ discrimina vite,  
Quod mihi si centum lingua sint oraq<sup>3</sup> centum,  
Non ego par, sanè, recitandis omnibus essem.  
Nos cunctis exolve malis, & mortis in hora,  
Judicijq<sup>3</sup> die, quod mundi extrema sequetur;  
Vt veram in patriam cum ducas CHriste triumphum,  
Ex hoc exilio tecum super astra vehamur,  
Teq<sup>3</sup> ibi perpetuis celebremus laudibus, Amen.

Precatio alia ad Christum, pro  
florete Ecclesiæ ac Politicæ statu.

**F**Loreat cœtus tuus, ô Redemptor,  
Floreat cultus pietatis alma,  
Rege sub florente, Duce & potente,  
Principe nostro.

Flore-



Floreat passim studium bonarum,  
Artium, sinceraq; disciplina,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.

Floreat pax publica ( Marte pulso )  
Floreat lex Iustitia, decusq;  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.

Floreat nunc Dania cum colonis  
Omnibus multumq; diuq; felix,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.

Floreat Norvegia fruge amœna,  
Floreas Islandia tuq; Phares,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.

Floreat Regina Ana Catharina  
Principis nostri, pariatq; prolem,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.

Floreat vivatq; diu Sophia,  
Cum sibi charâ sobole, & parente,  
Rege cum florente, Duce & potente  
Principe nostro.

E

Flore-



*Floreant fratres, pariter Sorores,  
Floreat Regis domus, aula tota,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreant latè generi potentes,  
Cum suis uxoribus, atq; amicis;  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreant regni proceres fideles,  
Floreat nunc quisq; suo Locoq;  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreat tum nobilis omnis, atq;  
Floreat Clerus, populusq; totus,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreat Doctor, simul & Magister,  
Floreat nec non Studiosus omnis,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreat verbi pius & minister,  
Qui gregem Christi docet ac gubernat,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Flore-*



*Floreat qui dogmata pura discit,  
Et colit Christum pietate verâ,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreat civis, pariterq; nauta,  
Floreat nunc Agricola atq; Pastor,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Floreat sutor, faber atq; sartor,  
Floreat quicumq; manu laborat,  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

*Faxit hac nobis Deitas beata,  
Patris, ac gnati pariterq; flatus;  
Rege sub florente, Duce & potente  
Principe nostro.*

DEO uni pariter ac trino sit gloria, Laus  
& honor in omnem æternitatem,  
A M E N.


















*Floreat qui dogmata pura dis*  
*Et colit CHristum pietate ven*  
*Rege sub florente, Duce & p*  
*Principe nost*  
*Floreat civis, pariterq; nauta;*  
*Floreat nunc Agricola atq; Pa*  
*Rege sub florente, Duce & p*  
*Principe nost*  
*Floreat sutor, faber atq; sart*  
*Floreat quicumq; manus labora*  
*Rege sub florente, Duce & p*  
*Principe nost*  
*Faxit hac nobis Deitas beata*  
*Patris, ac gnati pariterq; fla*  
*Rege sub florente, Duce & p*  
*Principe nost*

DEO uni pariter ac trin  
 & honor in omnem æ  
 AMEN



the scale towards document

ia, Laus